



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

879. Quotuplex sit unio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

Quaestio 879. Quotuplex sit Unio?

Respondeo primò: Unio alia est perpetua, hoc est, durans in perpetuum, ita ut ad quemcunque possessorem transeat beneficium, cui facta unio, transeat & illud, quod unitum est, veluti unum cum illo: alia temporalis, quæ facta est pro limitato tempore, nempe ad vitam illius, ad cuius favorem facta seu concessa est. Castrop. *cit.* §. 1. n. 2. Garc. p. 12. c. 2. n. 9. Estque hæc unio quoad vitam inventa ad effectum, ut quis assequi, & retinere possit beneficia incompatibilia, seu quæ aliàs simul habere nequiret. Corrad. *loc. cit.* l. 2. c. 13. n. 28. Paris. *de resign.* l. 12. q. 3. n. 49. citans Gemiu. *conf.* 38. n. 11. Cassad. *decis.* 33. n. 5. Adeoque talis unio ad vitam vim habet solum dispensationis super incompatible, ut nempe mediante illâ retinere simul valeat incompatibilia. Corrad. *loc. cit.* Gonz. *gl.* 5. §. 7. n. 175. Et sic Rotam semper interpretatâ esse uniones ad vitam, & Commendas pro palliatis dispensationibus, ajunt Corrad. & Paris. *II. cit.* ex Cassad. *loc. cit.* Item, ut Gonz. *loc. cit.* ex Pet. Gregor. Tholof. *in institut. rei benef.* c. 20. n. 3. est quadam species reservationis, quia per manûs Papæ appositionem in faciendo unionem ad vitam remanet beneficium reservatum. Et hinc, ut patebit ex mox dicendis, minus propriè censetur unio; & ut ait Corrad. *loc. cit.* n. 39. à longo tempore rarò videmus per Papam concedi, refragante Trid. *sess.* 27. c. 4.

2. Secundò: Unio alia est conjunctiva, & simul conservativa titularum beneficialium, nempe amborum, qui simul uniuertur. Alia est subjectiva & extinctiva tituli, qui unitur, seu quæ facit, ut beneficium unitum non sit, nec nominetur amplius beneficium. Lott. l. 1. q. 28. n. 96. & hæc postrema solum propriè, ac verè censetur unio beneficialis. Lott. *loc. cit.* n. 97.

3. Tertiò: Alia est æquè principalis, & jure coequali. Alia accessoria, cujus utriusque naturam melius intelliges ex sequent.

Quaestio 880. Quotuplici modo fiat Unio?

Respondeo: Loquendo de unione perpetua, Romissis iis, quæ de quintuplici modo faciendi eam tradunt Hofl. & cum secuti Abb. Cacialup. Pet. de Perus. & fusè Pavin. apud Garc. *cit.* c. 2. n. 5. fit ea potissimum modis tribus. Primò accessorie, seu per viam subjectionis, & accessionis, dum una Ecclesia, seu beneficium alteri pro augmento dotis, & patrimonii illius annexitur & incorporatur, ut mediante eâ annexione, seu incorporatione evadat membrum, subiectum, inferius, accessorium, adhærens illius, ac dependens ab eo, cui unitur; hoc verò remaneat superius ac principalis, de quo est textus *in c. quia monasterium. de religiof. domib.* & ibi AA. absque eo tamen, quòd ista duo beneficia in unum veluti corpus coalescant & confundantur. Azor *loc. cit.* q. 2. Gonz. *loc. cit.* n. 27. Card. de Luca *loc. paulò post citand.* Et tunc, ut Azor *cit.* c. 28. q. 2. in inferiore Vicarius, qui munus & officium obeat, constitui solet; quod tamen posterius intelligendum, ubi habens utrumque illud beneficium utriusque simul per seipsum satisfacere non potest, aut non vult.

2. Secundò fit unio æquè principaliter, & jure coequali, dum duo beneficia, absque eo, quòd in unum veluti corpus coalescant, ita consuectuntur, ut

neutrum alteri subjiatur; sed unumquodque sua jura, privilegia, præeminencias ac titulos retineat, etsi hæc omnia sint penes eundem utriusque Rectorem, Azor. *loc. cit.* quòd spectare videtur, dum duæ Ecclesiæ Cathedralis perpetuè ita inter se uniuertur, ut neutra suum statum amittat. Idem est de duabus Parochiis Garc. *loc. cit.* n. 10. Idem est de duabus Parochiis Garc. *loc. cit.* n. 29. dum ait: tertio modo fit unio duarum Diocesium vel Ecclesiarum, quoad caput vel gubernationem, ut utraque remaneat cum suis propriis bonis ac juribus distinctis ac separatis, & non communicatis, ut priùs, sed habeat unum duntaxat Episcopum, & Rectorem, & quilibet retineat sua jura & statuta, ut ait ex Mandos. *ad reg.* 12. *Cancel.* q. 1. n. 4. contingere in Episcopatu Viterbiensi & Tusculano, quæ duæ Dioceses unum habeant Episcopum, qui tamen, cum rescribit super concernentibus jurisdictionem & administrationem Episcopatus Viterbiensis, se nominat Episcopum Viterbiensem & Tusulanum; si autem rescribit in concurrentibus Episcopatum Tusulanum, se nominat Episcopum Tusulanum & Viterbiensem, semper anteponendo nomen illius Diocesis, in qua consistit res, de qua agitur. Verùm id ipsum distinguendum, nimirum ut unus sit Rector duarum Ecclesiarum, dupliciter fieri possit: nempe vel accidentaliter, in hac persona tantum ex quadam particulari commendatione, ipsarum Ecclesiarum statu in nihilo immutato (quam etiam unionem potius de facto, quam de jure, uti & personalem tantum, & accidentalem vocat Card. de Luca. *ad Trid.* d. 8. n. 33.) vel ex perpetua unione dictarum Ecclesiarum. Card. de Luca *in Miscellan.* d. 1. n. 38. qui etiam *ibidem* ait, hanc posteriorem unionis speciem, in Cathedralibus præsertim magis in usu esse, quæ tunc verè, & de facto inter se habeantur pro duabus invicem distinctis, quamvis unum habeant gubernatorem, qui quoad se dicitur unus & idem, sed quoad eas habeatur pro duplici homine diverso, seu discreto. Quamvis idem Card. de Luca *ad Trid.* d. 7. n. 6. dicat, quòd, quamvis Ecclesiæ Cathedralis sit unica & individua, atamen in ea representari, seu efformari possit à pluribus quodam societativo jure idem ac unicum corpus constituentibus: in quo casu, in qua earum ab Episcopo consecrandum sit oleum sacrum *ibidem* tradit. Porò dum duæ Parochiales sic (etiam in perpetuum) uniuertur, ut qualibet in suo statu pristino perseveret impermixtis bonis ac juribus, ita ut bona unius non transeat in dominium alterius, etsi bonorum utriusque idem sit Administrator, nempe Rector utriusque (uti fit, ut dictum, dum principaliter uniuertur. Gonz. *loc. cit.* n. 116.) & constituendus in una Vicarius, & fructus illius Ecclesiæ, ubi constituitur, non sufficiant pro congrua illius, Rectorem non teneri supplere ex redditibus, quos percipit ex alia Ecclesiâ; cum quilibet Ecclesiâ suos redditus, fructus & emolumenta conferret; sed esse suppleendum per Parochianos, tradit Gonz. *loc. cit.* n. 113. citans Gutt. *qq. pract.* q. 77. n. 14. l. 1. Sic etiam ait idem Gonz. n. 117. quòd quando sic duæ Ecclesiæ sunt unitæ, beneficiati unius Ecclesiæ non teneantur supplere defectum servitii in altera Ecclesiâ, Pro quo citat Rotam *decis.* 278. n. 2. p. 2. *Diversarum.*

3. Tertiò fit unio jure confusionis (ut ait Card. de Luca, *loc. cit.*) nempe etiam æquè quidem principaliter, ita tamen, ut ex quibus beneficiis fit